

# Disquisitio historico-juridica de visitoribus in Ordine Praemonstratensi

---

Cum ab efficaci exercitio visitationis canonicae multoties pendeat vigor et efflorescentia vitae religiosae, neminem aufugit momentum huiusmodi instituti. Non mirum etiam primos patres, iam a primordiis ordinis magnam curam adhibuisse ad hoc ut visitationes canonicae regulariter instituerentur. Character vero canonicalis ordinis sicuti et circumstantiae locorum et temporum haud spernendum influxum exercuerunt in evolutionem juris visitandi in ordine Praemonstratensi.

In hac disquisitione pervolvere intendimus periodum, quae decurrit inde a fundatione ordinis (1121) usque ad revisionem statutorum anni 1290. Structura enim juris visitandi in hoc spatio temporis paulatim perficiebatur tam per decreta capitularia quam per interventus multiplices Romanorum Pontificum. Cum redactiones successivae statutorum semper contineant textus definitivos decisionum anteriorum, systematice progrediemur ab una redactione ad alteram, incipiendo a fundatione ordinis usque ad statuta anni 1290.

In omnibus ecclesiis a. S. Norberto fundatis vel reformatis vita evangelica et apostolica introducta est, et fratres ibidem vixerunt « secundum apostolica instituta et secundum regulam S. Augustini sub disciplina et magisterio fratris Norberti » <sup>1)</sup>. Strictum ligamen

<sup>1)</sup> Approbatio cardinalium Petri Leonis et Gregorii. C. L. HUGO, *Sacri et canonici ordinis Praemonstratensis Annales, Probationes*, I, p. 8. Nancy, 1734. Diploma Theoderici, Monasteriensis episcopi anni 1125, *ibid.*, 358.

Fere idem pro Cappenberg, *ibid.*, p. 373. Pro Ilbenstadt anno 1123. *Ibid.*, p. 661. Pro Sancto Michaelē in Antverpia anno 1124. A. SANDERUS, *Chorographia sacra Brabantiae*, I, p. 98. Hagae Comitum, 1726. Pro Sancto Martino Laudunensi,



iuridicum reciprocum tunc inter varias fundationes non exsistebat ac absque reciprocis obligationibus unice sancto fundatori subdita erant varia monasteria. Promoto autem Norberto ad sedem archiepiscopalem Magdeburgensem sat cito animadvertabatur relaxatio quaedam tum disciplinae in ecclesiis, tum harmonicae unitatis inter ipsas. Cum autem Norbertus de discordia illa nonnihil grassante certior factus fuerit, quosdam ex prioribus et praeeminentibus fratribus Ordinis ad se vocavit ut de diversis eorum opinionibus inquireret. Eorum consilio ductus, facultatem eligendi pastorem fratribus Praemonstrati ecclesiae concessit; qui deinde in abbatem assumpserunt Hugonem, eo tempore Magdeburgi commorantem. Norbertus vero ipsemet in Antverpiensi et Floreffensi ecclesiis abbates constituit<sup>2)</sup>. Hugo, Praemonstrati reversus immediate ecclesiis Vivariensi et Laudunensi abbates praefecit. Quinque illi superiores, assumpto abbate Bonae Spei ad diem statutum in loco determinato conveniunt pro resarcienda dissolutione ordinis (i. e. ad restaurandam unionem inter ipsas ecclesias), ad recidenda superflua, et res necessariis salubriter instaurandas. Deinde, ad similitudinem et exemplum Cisterciensium annuatim se reversuros simul, ad ordinis sui minus recta corrigenda et bona promovenda, firmaverunt<sup>3)</sup>.

#### STATUTA 1130-1134.

Hisce quoque annis composita sunt « primaria statuta » in quibus primi patres ordinis, ad modum Cisterciensium, assumpserunt principium filiationis, scilicet « semel ad minus in anno quisque abbas,

anno 1124. J. LE PAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, p. 446. Parisiis, 1633. Pro ordine integro, Bulla « Apostolicae disciplinae » Honorii II anno 1126. *Ibid.*, 392. Pro Viconia, anno 1129. HUGO, o. c., probationes, p. 682. Ibi legitur « secundum regulam beati Augustini ad tenorem Laudunensis coenobii ». Pro Urspergensis ecclesia anno 1130, *ibid.* II *Prob.* p. 707. Pro Helissemensi, anno 1134, *ibid.* I *Prob.* p. 642. Et legitur: « juxta beati Augustini regulam et formam religionis Floreffensis ».

<sup>2)</sup> *Vita Norberti A*, ed. R. WILMANS, MGH, SS., t. XII, p. 697. Circa nominationem abbatum, quaedam contradictoria inveniuntur in diversis fontibus. *Sigeberti Continuatio Praemonstratensis*, MGH; SS., t. VI, p. 449 dicit Norbertum redeuntem de Roma constituisse abbates in ecclesia S. Martini Laudunensis et etiam in ecclesia Vivariensi.

<sup>3)</sup> *Vita A*, MGH, *ibid.* p. 697. Notetur ordinem hic minus significare ordinem religiosum stricte iuridice formatum, quam modum vivendi (ordinem vitae).



eas quas ecclesia sua genuit, abbatias, paterna sollicitudine visitabit » <sup>4)</sup>). Insuper assumptum est generale capitulum, quod in initio colloquium vocabatur. Sic theoretice saltem provisum fuit uniformitati vitae et disciplinae in omnibus monasteriis, cum quaelibet ecclesia quotannis visitari deberet a suo patre-abbate, et in fine cuiusque anni relatio facienda esset de statu singularum canoniarum in capitulo generali Ordinis, quod minus recta corrigeret et vinculum unionis et pacis inter ipsas confirmaret.

Paucos vero post annos, systema illud filiationis, insufficiens visum est, cum annuae visitationes, omnino requisitae, non raro omissae viderentur. Multae enim abbatiae non fuerunt filiae-ecclesiae in proprio sensu. Filia-ecclesia enim stricte dicta secundum ordinis statuta, existebat, quando ex gremio communitatis emittebantur duodecim fratres ad alium locum, ut ibi vitam canonicam instituerent. Saepius vero integrae congregationes clericorum vel monachorum, canonice jam formatae, aggregabantur Ordini Praemonstratensi; quae deinceps per modum affilationis Ordini incorporabantur. Hae abbatiae sibi elegerunt ecclesiam-matrem et patrem-abbatem; qui ibi deinde praefecit aliquem in abbatem loci <sup>5)</sup>). Praeterea distantia et multitudo ecclesiarum-filialium impediabant plures patres-abbates quominus regulariter annuatim visitationes canonicas instituerent. Ita Abbas Praemonstrati suas filias-ecclesias non tantum in Gallia sed et in Germania, Anglia et Hungaria visitare debebat. Abbas Steinfeldensis ex sua parte in Frisia, Polonia et Bohemia <sup>6)</sup>).

<sup>4)</sup> *Les premiers Statuts de Prémontré*, éd. R. VAN WAEFELGHEM, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, XI, 1913, p. 35. De valore obligationis horum statutorum cfr. L. VAN DIJCK, in *An. Praem.*, XXVIII, 1952, 87-89, qui demonstrat hos textus non habere strictum valorem juridicum, et hanc redactionem potius conamen quam elaborationem esse legislationis.

<sup>5)</sup> Confer diploma Embriconis Wurzburgensis episcopi pro Cella Superiore anno 1128, HUGO, o. c., I, Prob. p. 382; diploma Bartholomaei Laudunensis episcopi pro Clarafonte, anno 1131, *ibid.* p. 402; diploma Nicolai Cameracensis episcopi pro Monte Santi Martini, anno 1137, *ibidem* p. 156 et apud LEPAIGE, o. c., p. 474. Diploma Reginberti Brixinensis episcopi pro ecclesia Wiltinensi anno 1140: HUGO, o. c., II Prob., p. 687.

Pro Steinfeld, cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, Straubing 1949, Tom. I, p. 193.

<sup>6)</sup> Cfr. S. LAIRVELZ, *Optica Regularium...*, Coloniae Agrippinae 1614, pp. 381-422, et elenchus apud LEPAIGE, o. c., pp. 326-344.



## STATUTA 1150.

Quaerentes remedium afferre tali rerum statui, abbates in nova redactione statutorum circa annum 1150<sup>7)</sup>, sequentia addiderunt : « Quia vero prae multitudine abbatiarum et remotione locorum patres-abbates filias-abbatias quandoque sicut statutum est visitare non possunt, provisum est ut per diversas provincias abbatae quae sibi vicinae sunt, de abbatibus earumdem ecclesiarum singulis annis duos habeant circatores, qui singulas abbatias visitent ; et si quae ibi corrigenda invenerint aut per se corrigant aut ad patres in annuo colloquio diligenter inquisita, referant »<sup>8)</sup>.

Hi visitatores vocantur « circatores », quod nomen sine dubio assumpserunt ex assimilatione cum « circatore abbatae », qui in singulis monasteriis invigilator erat disciplinae. In his statutis anni 1150 nondum sermo fit de « circaria » nec de territorio quodam, quod esset pars ordinis, sed unice de vicinitate abbatiarum<sup>9)</sup>. Insuper in hac redactione statutorum obligatio visitationem instituendi imponitur tum patribus-abbatibus, tum circatoribus capituli generalis ; attamen pater-abbas consideratur ut prima instantia, circator capituli generalis ut secunda instantia. Hoc liquet ex immediate subsequentibus, ubi de corrigendo abbate dicitur : « Quod si frequenter admonitus a fratribus suis se corrigere neglexerit aut contempserit, abbatem matris-ecclesiae ad eum admonendum et corrigendum advocent ; qui si eum corrigere non potuerit aut noluerit, tunc demum circatoribus capituli generalis, cum ad eandem ecclesiam venerint causa manifeste indicetur, qui per se, si potuerint, omnia in pace componant, aut ad generale capitulum patrum, veritate diligenter cognita, referant »<sup>10)</sup>.

<sup>7)</sup> Cfr. Pl. LEFÈVRE, *Les statuts de Prémontré...* (Bibliothèque de la Rev. d'hist. écl., fasc. 23), Louvain 1946, p. XIII. Indicavit ibi annum 1170. Nunc potius annum 1150 proponit.

<sup>8)</sup> MARTÈNE et DURAND, *Institutiones Patrum Praemonstratensium = De antiquis Ecclesiae ritibus*, III, p. 334. Antverpiae 1764. Caput 8, Distinctionis IV : De annuis circatoribus.

<sup>9)</sup> Terminus « Provincia » in textu horum statutorum non alludit ad provinciam religiosam ; sed simpliciter ad regionem illam, in qua abbatae sitae sunt.

<sup>10)</sup> MARTÈNE, *ibidem*.



PERIODUS INTER STATUTA 1150 ET STATUTA ANNI 1234.

Anno 1177 Alexander III <sup>11)</sup> et anno 1184 Lucius III <sup>12)</sup> patris-abbatis jus corrigendi filios-abbates confirmaverunt et nullam de circatoribus annuis mentionem fecerunt. Anno 1197 in litteris ad abbates Praemonstrati et S. Martini Laudunensis directis, Coelestinus III scripsit se audivisse patres-abbates de filiorum-abbatum et monasteriorum iisdem commissorum correctione minus sollicite existere, et visitationes « per quas religio vestra in disciplinae rigore subsistere consuevit et in melius reformari » non exsequi ut deberent <sup>13)</sup>.

Insuper, cum in prima medietate saeculi XIII Ordo Praemonstratensis crism sat gravem subiisset, Gregorius IX anno 1232 per bullam « Audivimus et audientes » statuit « ne per incuriam et negligentiam diffinitorum seu visitorum ipsius ordinis excessus excedentium remaneant incorrecti, quolibet anno in generali capitulo diffinitores et visitatores supradicti mutentur novis, qui religione ac discretione praeemineant, veteribus subrogatis, ita quod visitatores ipsi de una circaria ad aliam assumantur, illa cautela adhibita, ut nesciatur a quo visitandus in anno sequenti debeat visitari » <sup>14)</sup> : Ac in bulla « Olim

<sup>11)</sup> Bulla « *In apostolicae Sedis* » apud LEPAIGE, o. c., p. 632 (J-L, 12813). — JAFFÉ-LOEWENFELD, *Regesta Pontificum Romanorum usque ad annum 1198*. Leipzig, 2<sup>a</sup> ed., 2 voll., 1881-1888.

<sup>12)</sup> Bulla « *In eminenti apostolicae* » apud LEPAIGE, p. 636 (J-L, 15000).

<sup>13)</sup> Bulla « *Cum fama religionis* » (J-L, 17507) : « Verum pervenit ad audientiam nostram, quod inter alia, quae in religionis vestre derogationem presumuntur a vobis, ad superpellicia contra consuetudinem aspiratis et patres abbates vestri ordinis circa filiorum abbatum et monasteriorum commissorum eisdem correctionem minus sollicite existentes, visitationes, per quas religio vestra in discipline rigore subsistere consuevit et in melius reformari, non execuntur ut debent, per quod dissolutio religionis et rigoris destitutio toti ordini non modicum irrogatur... discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus... Quatenus patres abbates in corrigendis illis, qui suae sunt correctioni commissi, non negligentes sed ferventes existant et visitationes solitas, in quibus precipue vester ordo subsistit, taliter studeant exercere ut in nullo religio vestra depereat sed de die in diem potius augeatur ». Bulla haec directa est ad abbates Praemonstrati et S. Martini Laudunensis.

<sup>14)</sup> Bulla « *Audivimus et audientes* » apud *Bullarium Taurinense*, III, p. 466, nr. 32. Etiam apud LEFÈVRE, o. c., p. 128 (A. POTTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum 1198-1304*, 2 voll. Berlin 1873, nr. 8955).

Valde utiliter statuitur in Bulla quod diffinitores et visitatores in capitulo annuo debent mutari. Oportet enim hi officiales sint omnino liberi et non ligati; visi-



intellecto » anni 1134 addidit : « exceptis videlicet illis provinciis in quibus paucae sunt abbatiae, quas circatores aliarum provinciarum non poterunt commode visitare » <sup>15)</sup>.

#### STATUTA ANNI 1234-1236 <sup>16)</sup>.

Legislatio ordinis, sub Gregorio IX revisa et adaptata, fusius de visitatione tractat. Jus visitandi patris-abbatis persistit : « ut ad minus semel in anno, quisque abbas quas sua genuit ecclesia abbatias paterna sollicitudine visitaret per se vel per nuntium competentem » <sup>17)</sup>. Circatoribus annuis expresse non imponitur omnes ecclesias annuatim visitare, quod tamen in contextu insinuat. In distinctione IV, caput 8 : De visitationibus et inquisitionibus faciendis dicitur : « in aliis ecclesiis — praeter Praemonstratum — cum patres-abbates vel annui circatores ad ipsas visitandas accesserint... » in capite 7° autem, de annuis circatoribus : « ... in schedula patenti... statum domus relinquunt... ut circatores anni sequentis possint cum venerint inspicere scriptum illud » <sup>18)</sup>.

Ad tenorem horum statutorum patres-abbates possunt omni tempore — sicut de caetero Dominus Praemonstratensis, de quo infra — ecclesias suas filiales visitare, cum dicitur « semel ad minus in anno » ; circatores capituli vero, semel tantum in anno, et quando Dominus Praemonstratensis jam visitavit illam ecclesiam per se vel per alium idoneum, tunc circatores pro illo anno abstinere debent a visitatione <sup>19)</sup>.

Collatis ad invicem diversis textibus horum statutorum, concludere licet circatores annuos habuere alium scopum in visitatione instituenda quam patres-abbates. Annui circatores, nominati in capi-

tatores enim invigilabant disciplinae omnium ecclesiarum ordinis; diffinitores curabant pro felici successu ipsius capituli; ipsis quoque competeat definire quid proponendum esset patribus capitularibus in sessione plenaria.

De definitores, vide, Jean-Berthold MAHN, *L'Ordre Cistercien et son gouvernement des origines au milieu du XIII<sup>e</sup> siècle*, Paris 1945, pp. 190-191.

<sup>15)</sup> Bulla « *Olim intellecto quod* » apud LEPAIGE, o. c., p. 660 (POTTHAST, o. c., nr. 9412).

<sup>16)</sup> LEFÈVRE, o. c., p. XIII et XVIII.

<sup>17)</sup> *Ibidem*, p. 94.

<sup>18)</sup> *Ibidem*, pp. 104-105.

<sup>19)</sup> *Ibidem*, p. 108. Distinctio IV, caput 8, De visitatoribus et inquisitionibus faciendis.



tulo generali pro anno currente et assumpti ex alia circaria, sunt quasi personam gerentes supremae auctoritatis ordinis, capituli generalis nempe, et ideo magis invigilare debuerunt illis omnibus quae a capitulo generali imposita sunt ut unitas et uniformitas servaretur inter varias abbatias.

*Patres-abbates*, licet etiam respondere deberent de statu filialis ecclesiae, potius vitae regulari consulere et regimini interno invigilare debebant. Secundum caput tertium distinctionis IV<sup>ae</sup> debent universa quae invenerint in filiali ecclesia manifeste fieri contra instituta ordinis et consuetudines approbatas, in statum debitum reformare <sup>20)</sup>, et in capite de Provisore exteriorum inseritur patribus-abbatibus expositionem integram et adaequatam de statu ecclesiae, tam de receptis et expensis, de eo quod debetur ecclesiae et quod ipsa debuerit, referendam esse; visitoribus autem annuis debitorum tantum summa exprimenda est <sup>21)</sup>: haec enim debita famam ecclesiae et ordinis apud extraneos in discrimen vocare possunt. Ad patrem-abbatem quoque debent in primo loco referre supervenientes difficultates, quas forse cum proprio abbate, religiosi habere possunt; tantum in huius defectu vel neglectu ad circatores annuos spectabat de talibus inquirere iisque remedium aptum proponere <sup>22)</sup>.

*Circatoribus vero capituli generalis* imponitur ut inspiciant libros ordinis ubique praescriptos et « ubi abbates de ipsis habendis et ut sint uniformes inventi fuerint negligentes, annui circatores ipsorum negligentiam referant ad capitulum generale » <sup>23)</sup>. Etiam invigilare debent ne sub auspiciis patrum-abbatum in electionibus abbatum-

<sup>20)</sup> *Ibidem*, p. 95.

<sup>21)</sup> *Ibidem*, pp. 53-54. Et in capite 4 Distinctionis IV, *ibid.*, pp. 95-97 « In quibus requirendus est assensus patris abbatis et de permutationibus faciendis » unice sermo est de rebus temporalibus et de statu oeconomico domuum.

<sup>22)</sup> *Ibidem*, p. 75. In c. 7, Dist. III, De publicis percussoribus: qui debent per Dominum praemonstratensem vel patrem abbatem in aliis ecclesiis collocari.

P. 107. In c. 8, Dist. IV, De visitationibus...

P. 99. In c. 6, Dist. IV, De electione et translatione abbatum: videmus patrem-abbatem habere potiores partes in electione, et etiam habere specialem curam abbatiae vacantis.

P. 95. In c. 4, Dist. IV, Licentia patris-abbatis requiritur pro nova constructione, vel consilium vicinorum abbatum si pater-abbas fuerit nimis remotus. « Quod si opus apparuerit nimis sumptuosum, pater-abbas, vel circatores, si ipse non visitaverit ecclesiam eo anno, prohibeant ne procedatur in opere usque ad consilium capituli generalis ».

<sup>23)</sup> *Ibidem*, p. 93. In c. 2, Dist. IV, De construendis abbatibus et unitate earum.



filiorum promoveantur minus digni, reprobatis idoneis <sup>24)</sup>. Solis circatoribus injungitur « ut in singulis ecclesiis suae circariae, in schedula patenti, sub custodia prioris et alterius, statum domus relinquunt, et tam correctionem quam ordinationem factam ibidem, ut circatores anni sequentis possint, cum venerint, inspicere scriptum illud ; ipsi vero aliam schedulam retineant penes semetipsos, in quo contineatur status domus et ea quae ad generale capitulum fuerint referenda » <sup>25)</sup> ; Patres-abbates utique, utpote in munere suo persistentes, non indigebant aliquo relicto in proxima visitatione inspiciendo ; statuta supponebant eos cognoscere habitualement statum ecclesiarum filiarum. Nec ipsis imponebatur ut conficerent schedulam seu protocollum referendum et praelegendum in capitulo generali. Et revera, in capite de capitulo generali legimus, quod prima die recitanda erant relictia visitationum ordinis ; quae visitationes sine dubio erant illae peractae a circatoribus, cum in immediate subsequentibus refertur, quod quolibet anno visitatores in capitulo mutari debent, ne excessus remaneant incorrecti <sup>26)</sup>. Insuper, cum in casu quo Dominus Praemonstratensis visitaverit aliquam ecclesiam, circatores dispensati erant a visitatione facienda, jure exinde deducimus tunc sufficere testimonium et relationem visitoris illius supremi, Domini nempe Praemonstratensis <sup>27)</sup>.

#### CONCLUSIO EX STATUTIS 1234-1236.

In his statutis jus patrum-abbatum retinetur in statu quo erat, sed crescit auctoritas et momentum circatorum annuorum, qui deinceps verum efformant organum centralizationis in manu capituli generalis quoad omnes domus ordinis, sine respectu ad ecclesiam-matrem cuius Abbas in statutis anni 1150 hoc munere praeditus erat. Immo in his statutis sicut in bulla praevia ad haec Statuta Gregorii IX « Audivimus », perspicitur quaedam diffidentia erga patres-abbates, quorum vices saepius supplere debent circatores

<sup>24)</sup> *Ibidem*, p. 100. Illa invigilantia circatoris in electionibus abbatum iam invenitur in bulla « *Audivimus* » anni 1232. Cfr nota 14.

<sup>25)</sup> *Ibidem*, p. 104. In c. 7, Dist. IV, De annuis circatoribus. Solum in statutis anni 1290 invenitur praeceptum, quo patres-abbates debent aliquid referre ad capitulum generale.

<sup>26)</sup> *Ibidem*, p. 89. In c. 1, Dist. IV, De annuo capitulo.

<sup>27)</sup> *Ibidem*, p. 108. In c. 8, Dist. IV, De visitationibus.



annui, qui ratione delegationis a capitulo generali pro uno anno tantum, censentur efficaciores et magis impartiales <sup>28)</sup>).

Saepius quoque in hac legislatione sermo fit de « circaria » vel de « provincia » — vocabula quae promiscue adhibentur — quin tamen possimus affirmare « circariam » jam efformare institutum quoddam juridicum. Hucusque « circaria » apparet tamquam merum districtum visitationis, seriem scilicet abbatiarum in eadem regione jacentium, quae per eosdem circatores capitulares visitari debent. Aliud vinculum inter illas abbatias non existere videtur, immo ne oriatur, prohibetur. Districte enim interdicitur patribus-abbatibus coprovinciales abbates convocare ad capitula provincialia vel generalia (localiter) sub poena suspensionis <sup>29)</sup>. Hoc certocertius ad declinandam occasionem ne coetus isti particulares et regionales unionem et universalitatem ordinis in periculum adducerent.

#### EVOLUTIO VISITATIONIS INTER STATUTA ANNI 1234 ET STATUTA ANNI 1290.

Post statuta anni 1235 plures romani Pontifices varia utilia decreverunt relate ad visitationes canonicas.

Anno 1245 Innocentius IV statuit quod annuatim omnes Praemonstratensis ordinis ecclesiae debent visitari, Praemonstratum per tres primos abbates tantum, omnes vero aliae ecclesiae per Dominum Praemonstratensem aut per visitatores ordinis et non per alios <sup>30)</sup>. Eodem adhuc anno idem pontifex Innocentius praedictos visitatores et patres-abbates adhortatus est « ut super visitatione monasteriorum sollicitudinem et diligentiam haberent efficacem ; ne propter eorum negligentiam aut defectum cogeretur monasteriorum et personarum ordinis visitationem aliis visitatoribus imponere » <sup>31)</sup>. Anno sequenti

<sup>28)</sup> Hoc supra annotavimus pro electione abbatum (cfr nota 23) ; similiter quando sermo est de hospitalitate. LEFÈVRE, o. c., p. 132 ex bulla « *Audivimus* » = « Volumus et mandamus ut... loci eiusdem abbas, vel negligente abbate proprio, pater-abbas, aut utroque cessante, visitatores qui pro tempore fuerint, secundum possibilitatem locorum hospitalitatem ordinent et eleemosynas faciendas... ». Porro Lefèvre bene notat hanc praescriptionem primo insertam esse in statutis anni 1290 et non in statutis anni 1235 sicut plura alia imposita per hanc bullam.

<sup>29)</sup> *Ibidem*, p. 94. In c. 3, Dist. IV, Que lex sit inter abbatias que se genuerunt et de patribus-abbatibus.

<sup>30)</sup> E. BERGER, *Les registres d'Innocent IV*, Paris 1881-1898, 2 vol. Nr. 1099, « *Spirituale nobis gaudium* ».

<sup>31)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 664 (BERGER, o. c., nr. 1104). « *Sedis apostolicae quam* ».



1246 Odo, episcopus Tusculanus et apostolicae Sedis legatus, Praemonstratum personaliter accessit ad visitationem instituendam super observatione quorundam statutorum. Innocentius IV deinde conclusiones dicti legati apostolico suo munimine roboravit per bullam, in qua haec de visitatione edicuntur : « Quod omnia monasteria, tam Praemonstratum quam alia eiusdem ordinis, per visitatores in capitulo generali constitutos, et non per alios, qui non sunt eiusdem ordinis, facta diligenti inquisitione per testes iuratos in secreto et in aperto prout viderint expedire, annis singulis uniformiter visitentur tam in capite quam in membris » <sup>32)</sup>.

Et anno 1247 idem Innocentius IV iterum cavet ne praemonstratenses ecclesiae nisi per personas eiusdem ordinis, id est per abbatem praemonstratensem, patres-abbates vel visitatores annuos visitentur <sup>33)</sup>.

Anno 1256 Alexander IV rursus modo solemniter approbavit bullam Gregorii IX « Audivimus » et anno 1258 bullam Innocentii IV « Pro divini honore Nominis », ambae utiliter statuantes relate ad visitationes, quae nunc per iteratam confirmationem novum vigorem acceperunt <sup>34)</sup>. Suprema enim auctoritas ordinis semper de novo decreta visitatoria per interventum apostolicae Sedis confirmare et urgere curavit. Ex una parte, quidam circatores in eorum officii executione negligentes fuerunt, ex alia parte contra ipsos circatores exorta est oppositio. In quodam capitulo generali, intermedio inter annos 1235-1290 increpati sunt visitatores negligentes, qui non referebant statum domuum visitatarum ad generale capitulum et eis praecipitur ut deinceps fideliter inquirant, utrum praecepta visitationis praecedentis observata fuerint, secus puniant transgressores <sup>35)</sup>.

In capitulis generalibus anni 1279 et anni 1292 fulminaverunt patres capitulares suspensionem contra eos qui visitatores ad se missos recipere recusaverint nec permiserint eisdem visitoribus

<sup>32)</sup> *Ibidem*, p. 668 (BERGER, o. c., nr. 1753). « *Rei quam rectitudinis* ».

<sup>33)</sup> *Ibidem*, p. 670 (BERGER, o. c., nr. 2542). « *Pro divini honore* ».

<sup>34)</sup> *Ibidem*, p. 679. Bulla « *Felicis recordationis Gregorii* ». P. 685, Bulla « *Pro divini honore nominis* ».

<sup>35)</sup> Ms. Nancy 1775. Foll. 87-174. In hoc manuscripto reperiuntur statuta anni 1235 cum pluribus tamen additamentis decisis a capitulis generalibus. Distinctio IV et ultima, quae in 1235 refert 24 capita, habet hic capita 51. Plures ex his additionibus jam insertae sunt in suo loco in statutis anni 1290. Caput 37 disserit de visitoribus f. 123.



officium suum exercere<sup>36)</sup>. In recusatione illa forsitan hinc inde exprobrabatur cupiditas visitorum, cum in capite sequenti eiusdem capituli generalis reperimus quod circatores non debebant propriis stipendiis laborare, sed exspectare et requirere poterant moderatum adiumentum pecuniarium, ab illis ecclesiis, quas ipsis contingerit visitare.

Quamvis potestas patris-abbatis relate ad suas ecclesias filiales perduraverit limitabatur tamen quantitative. Hucusque enim viguit regula primarum consuetudinum anni 1134, vi cuius abbas-pater ad minus semel in anno debebat visitare suas filiales ecclesias; at in generali capitulo anni 1286 statutum est « Dominum Praemonstratensem et patrem abbatem non nisi semel in anno posse quamlibet ecclesiam ordinis visitare, nisi ab abbate loci vel a toto conventu vel a maiori et saniori parte conventus, fuerint specialiter advocati »<sup>37)</sup>.

Influxus et momentum vero circatoris annui magis magisque crescebat. In capitulo generali anni 1279 mutatum est statutum, quo « abbates de generali capitulo redeuntes, eodem die quo primum ingressi fuerint capitulo suo, instructiones generalis capituli, eo anno editas, recitent et promulgent » in hoc sensu ut deinceps hoc faciant visitatores per capitulum deputati in qualibet ecclesia suae circariae, cum ad eam descenderint, praecipientes illas instructiones capituli generalis a fratribus nostri ordinis inviolabiliter observari<sup>38)</sup>; ac in capitulo generali anni 1286 decretum est ut cum fratres ordinis emissi fuerint ad aliquam ecclesiam ordinis, exemptam a receptione hospitem, per abbates proprios vel patres-abbates aut visitatores, ibidem retineri deberent, non obstante exemptione praedicta, usque ad visitorum annuorum adventum<sup>39)</sup>.

Conceptus « circariae », in statutis anni 1235 limitatus quoad visitationem instituendam, evolutioni cuidam obnoxius fuit. Illa series abbatiarum enim, quae ab eodem circatore visitandae erant sed inter se nullam relationem habuerunt, paulatim qua unitas quaedam considerari caepta est. Abbatae ad eandem regionem pertinentes haud raro bona communia defendere debebant et iisdem

<sup>36)</sup> Ms. Nancy, 1767. Vol. VIII-543 foll.: Collectio Capitulorum tam generalium quam provincialium ordinis Praemonstratensis. Fol. 5 r<sup>o</sup> sub Aegidio abbate; et 9 r<sup>o</sup>, sub Guidone abbate.

<sup>37)</sup> *Ibidem*, fol. 8 r<sup>o</sup>.

<sup>38)</sup> *Ibidem*, fol. 6 r<sup>o</sup>.

<sup>39)</sup> *Ibidem*, fol. 8 v<sup>o</sup>.



difficultatibus laborabant. In hoc sensu decrevit capitulum generale anni 1273 « si aliquae exactiones ab ecclesiis nostri ordinis ex parte archiepiscoporum, episcoporum seu etiam archidiaconorum, de cetero contra ordinis nostri privilegia, exigantur, nullatenus persolvantur sed convocato abbatum et praepositorum coetu illius circariae in qua hoc evenire contigerit eorumque habito consilio totis obsistent viribus et singulis prohibeatur ne sub poena transgressionis et praevaricationis privilegiorum et statutorum ordinis quicquam petentibus episcopis conferant <sup>40)</sup>. Et quando propter paupertatem ecclesiae canonici vel conversi emittendi fuerint, tunc ad ecclesias eiusdem circariae et non alibi emittendi erant <sup>41)</sup>.

Haec omnia, licet in se non sint res summi momenti, quodammodo tamen demonstrant « circariam » plus significare quam merum districtum visitationis et abbatias illius territorii jam vinculo caritatis et mutui adjutorii constrictas esse. Attamen non corresponderet veritati ex paucis his elements concludere circarias tunc jam constituere organa clare distincta regiminis ordinis.

#### STATUTA ANNI 1290.

Relicta visitationum in capitulis generalibus praelegenda iterum atque iterum coegerunt patres ordinis nova decreta edere, quibus legislatio traditionalis ordinis adaptaretur temporibus recentioribus. Continuae illae annuae inspectiones circa observationem et applicationem statutorum ordinis ac manifestatio transgressionum patribus capitularibus, adigebant illos ut per practica et concreta praecepta promoverent bonum Ordinis. Novae illae stipulationes deinde, totum ordinem respicientes, per modum appendicis, annexae sunt libro statutorum tamquam extravagantes <sup>42)</sup>.

Anno vero 1290 totius textus statutorum revisio facta est. Quaedam minus practica vel jam abolita debebantur, alia, quae post statuta anni 1236 Distinctioni IV<sup>ae</sup> adjecta vel per bullas pontificias imposita erant, suis locis nunc inserebantur.

In hac redactione statutorum invenimus decretum capituli generalis anni 1279, quo deinceps circatores promulgare debebant decisiones capituli generalis ; decreta quoque capitulorum anni 1279 et

<sup>40)</sup> *Ibidem*, fol. 3 v<sup>o</sup>.

<sup>41)</sup> Ms. Nancy, 1775, fol. 123.

<sup>42)</sup> Exemplum habeas in statutis collectis in ms. Nancy 1775. Vide notam 36.



1292 de poenis contra recusante recipere visitatores et de moderata taxa exigenda occasione visitationum. Attamen decisio capituli anni 1286 de limitatione visitationum patris-abbatis, ut deinceps tantum semel in anno possit visitare, non inserta est, et textus remansit « ad minus semel in anno » <sup>43)</sup>.

In his statutis semel explicite dicitur quod pater-abbas — vel circatores — debent abbatem officium suum negligentem ad generale capitulum deferre <sup>44)</sup>. Hoc eis non imponebatur in statutis praecedentibus.

Rursus in redactione hac melius perspicitur crescens unitas inter abbatias eiusdem circariae. Imponitur abbatibus eiusdem circariae ut communibus viribus jura et privilegia ordinis ac jura particularia cuiusque ecclesiae defenderent <sup>45)</sup>. Ubi et sermo est de carcere ordinis in statutis anterioribus, dicitur « in qualibet circaria habeatur unus carcer fortis et firmus » nunc jam additur « vel duo, in quo illi, qui de illa circaria incarcerandi fuerint in expensis illarum ecclesiarum, quarum fuerint canonici, incarcerentur et firmiter teneantur » <sup>46)</sup>.

#### DE VISITATIONE PRAEMONSTRATI MONASTERII.

Specialia vero quaedam statuta erant de visitatione Praemonstrati, ac de jure visitationis ipsius Domini Praemonstratensis et de interventu episcopi in correctione fratrum et abbatum.

In primariis statutis provisum est ut singulae ecclesiae quotannis a patre-abbate visitentur, sed ecclesia ipsa Praemonstratensis, cum nullum patrem supra se habebat, a nullo visitabatur.

Anno 1134 Innocentius II per bullam « Proprium est ecclesiasticae » huic lacunae providit, hisce terminis : « pari quoque ratione abbatem Praemonstratensis ecclesiae, si sui ordinis praevaricator aut in corrigendo, quod absit, tepidus et contumax exstiterit, ab abbatibus videlicet Sancti Martini Laudunensis et Sanctae Mariae Floreffiensis et Sanctae Mariae Cuissiacensis admonendum et per

<sup>43)</sup> Non tantum in statutis 1290 in vanum quaeritur illa mutatio, sed etiam in statutis 1505. Primo in statutis 1630 invenitur.

<sup>44)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 812. In c. 5, Dist. IV, De tempore et modo gravioris culpa.

<sup>45)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 819. In c. 2, Dist. IV, De construendis abbatibus et de unitate earum.

<sup>46)</sup> *Ibidem*, p. 815. In c. 10, Dist. IV, De incarcerandis.



eos ab episcopo suo iudicandum esse statuimus ». Hac ratione pro prima vice in legislatione nostra apparet interventus trium illorum abbatum — ad modum eorum qui in ordine cisterciensi eadem potestate pollebant erga monasterium cisterciense — et quibus postea plures functiones relate ad regimen ordinis concredita sunt <sup>47)</sup>. Secundum tamen hanc bullam non gaudent plenipotencia in abbatem praemonstratensem, cum depositio eiusdem competit episcopo Laudunensi. Nec quotannis Praemonstratum visitare debent sed unice quando abbas munus suum defectuose implere videtur <sup>48)</sup>.

Alexander III autem anno 1177 visitationem Praemonstrati accuratius describit, momentum huius inspectionis indicans : « Quoniam Praemonstratensis ecclesia prima mater est omnium ecclesiarum totius ordinis, et pater super se alium non habet, sicut ad cautelam et custodiam ordinis, per tres primos abbates scilicet de Lauduno et Floreffia et de Cuissiacensi statutum est, *annua* ibidem *visitatio* fiat, et ad suggestionem eorum in ipsa domo corrigatur, si quid corrigendum fuerit. Quod si abbas in corrigendo tepidus et fratres saepius moniti incorrigibiles permanserint, ad generale capitulum referatur et sicut melius visum fuerit consilio generalis capituli, emendetur et sententia in hac parte capituli sine retractatione aliqua observetur » <sup>49)</sup>.

Vi huius bullae ergo, tres primi abbates, absque interventu episcopi Laudunensis procedere possunt, quamvis in casu incorrigibilitatis, definitiva sententia non ipsis sed capitulo generali competat.

Has decisiones Lucius III anno 1184 renovavit <sup>50)</sup>, Gregorius IX,

<sup>47)</sup> Jean Berthold MAHN, *L'Ordre Cistercien et son gouvernement des origines au milieu du XIII<sup>e</sup> siècle*, Paris 1945, p. 65. Ex Charta Charitatis, c. XI, Cistercium visitari debuit ab abbatibus quattuor monasteriorum filialium ipsius Cistercii, La Ferté, Clairvaux, Pontigny et Morimond. Etiam *ibidem*, pp. 243-244. Innocentius in sua bulla tantum tres abbates indicat. Fuerunt revera quodam sensu ecclesiae-filiales Praemonstrati, quamvis Cuissiacum et S. Martinus Laudunensis potius per affiliationem quam per filiationem ordini Praemonstratensi incorporatae sunt. Cfr p. 2.

<sup>48)</sup> Plures exstant textus huius Bullae. J. RAMAECKERS eam edidit in *An. Praem.*, XI (1935), p. 68 et eam adscribit anno 1134 sicut etiam J-L 7652. Pl. LEFÈVRE eam edidit in *An. Praem.*, XII (1936), pp. 137-138 et eam adscribit anno 1135, et insistit in anno. LEPAIGE, o. c., p. 662 etiam dat annum 1135.

<sup>49)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 632. In apostolicae Sedis. J-L 12813.

<sup>50)</sup> *Ibidem*, p. 637. In eminenti. J-L 15.000.



qui ordinem dotavit ecclesia S. Alexii in Urbe, cupiens quasdam reformationes introducere in ordine Praemonstratensi delegavit ad hoc abbates S. Alexii, Antverpiae et Middelburgi. Hisce renovationibus sese opposuerunt vehementer abbas Praemonstratensis Willelmus pluresque alii. At sat cito, suorum delictorum paenitentes Romam adierunt, sese subjiciendi causa, veniamque impetraverunt. Gregorius IX executionem sui mandati tunc commisit abbatibus S. Michaelis Antverpiensi et Middelburgensi, adjectis, loco abbatis S. Alexii, duobus abbatibus ordinis Cisterciensis de Foucarmont nempe et de Fontfroide. Hi quattuor simul visitationem Praemonstrati instituerunt tam in capite quam in membris. Hoc factum est, non obstante privilegio exclusionis extranei visitoris, quia, dicente Romano Pontifice, ipsi rebelles recusaverunt antea abbates praemonstratenses delegatos <sup>51)</sup>.

In redactione statutorum anni 1236, ex mandato Gregorii IX adaptata <sup>52)</sup>, nihil in materia visitationis Praemonstrati innovatur, cum dicitur, ecclesiam Praemonstratensem per abbates indicatos visitari debere « secundum formam privilegiorum Sedis Apostolicae sibi et eidem ecclesiae indultorum » <sup>53)</sup>. Haec visitatio, teste Gregorio IX, anno 1237, regulariter fieri consuevit <sup>54)</sup>.

Paucos post annos tamen non raro omissa videtur visitatio domus matricis, cum Innocentius IV anno 1245 moneat tres primos abbates et eis in virtute sanctae obedientiae imponat quotannis immo, quoties necesse fuerit domum praemonstratensem visitare tam in capite quam in membris; reservata tamen depositione abbatis capitulo generali <sup>55)</sup>.

Eodem anno 1245 exorta est controversia circa quaedam privilegia pontificia, ad quam componendam Odo, legatus Apostolicae Sedis, Praemonstratum descendit. In sua declaratione, quae anno 1246 ab Innocentio IV confirmata est, aliquid novi introduxit quoad visitationem archicoenobii.

<sup>51)</sup> *Ibidem*, p. 659. *Grave est admodum*. POTTHAST, 9137. Confer quod attinet ad illam oppositionem contra reformationem, LEFÈVRE, *Les Statuts de Prémontré*, pp. XIV-XVI.

<sup>52)</sup> Bulla « Audivimus » apud LEFÈVRE, o. c., p. 128.

<sup>53)</sup> LEFÈVRE, o. c., p. 105.

<sup>54)</sup> *Les Registres de Grégoire IX*, recueil des bulles de ce pape, publiées ou analysées d'après les manuscrits originaux du Vatican, par Lucien AUVRAY, Paris 1896. Nr 3771. « Cum dudum Willelmus ».

<sup>55)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 666. *Qui sunt loco*.



Omnia monasteria ordinis deinceps, Praemonstratum aequae ac alia, debent per visitatores in capitulo generali constitutos, annis singulis uniformiter visitari. Et explicite additur quod per hoc decretum non vult derogare iuribus trium abbatum Cuissiacensis scilicet, Floreffiensis et S. Martini, qui aequae ac antea valent monasterium Praemonstrati visitare <sup>56</sup>). Etiam successor Innocentii, Alexander IV affirmat anno 1258 Praemonstratum visitari debere a tribus primis abbatibus et annuis visitatoribus <sup>57</sup>).

Redactio statutorum anni 1290 omittens ea quae innovata fuerant ab Odone legato pontificio, retinuit textum redactionis 1236 immutatum, ita ut domus Praemonstrati tantum per tres illos abbates visitari possit <sup>58</sup>).

#### INTERVENTUS EPISCOPORUM IN CORRECTIONE FRATRUM ET ABBATUM.

Primi Praemonstratenses, secundum ea quae in chartis foundationum legimus, et quae ex modo agendi S. Norberti experimur, simpliciter episcopis locorum subiecti erant. Ipsa enim ecclesia Praemonstratensis, sub influxu episcopi Laudunensis fundata est et bulla confirmatoria Honorii II, post enumerationem bonorum addidit: « salva dioecesanorum episcoporum canonica iustitia » <sup>59</sup>).

At in charta foundationis ecclesiae Ilbenstadensis anni 1124 Adalbertus Moguntinensis episcopus adhuc clarius, scripsit: « et ne decalcescente fervore regulam... umquam praevaricarentur, tam nos quam nostri successores diligentissime provideremus » et prosequitur, quod attinet mutationem advocati, « quod totum oportet fieri consilio et auxilio archiepiscopi » <sup>60</sup>). Ipse fundator, S. Norbertus, factus archiepiscopus Magdeburgensis, introduxit anno 1129 suos fratres in ecclesiam B. M. V. et anno 1131 bullam ab Innocentio II accepit, qua Praemonstratenses ibidem constitutos, archiepiscopo plene subjiuntur <sup>61</sup>); quam bullam Alexander III (1159-1181) iterum

<sup>56</sup>) *Ibidem*, p. 668. *Rei quam rectitudinis*.

<sup>57</sup>) *Ibidem*, p. 685. *Pro divini honore Nominis*.

<sup>58</sup>) *Ibidem*, p. 823.

<sup>59</sup>) MADELAINE, *Vie de Saint Norbert*, 3<sup>e</sup> éd. Tongerlo 1928, Tom. II, p. 209.

<sup>60</sup>) HUGO, o. c., I Prob., p. 672.

<sup>61</sup>) « Ipsam quoque ecclesiam beatæ Mariæ Virginis in ea libertate permanere decernimus, ut ad neminem nisi ad te, frater carissime Norberte, et ad tuos successores, Magdeburgenses episcopos, respectum habeat, et nullius indebitae sub-



confirmavit, affirmans ecclesiam in eo statu libertatis permanere, in qua ipsam Norbertus statuit, et noscitur semper permansisse » <sup>62)</sup>.

L. Hertling affirmat Praemonstratenses exemptionem noluisse et G. Schreiber, distinguens inter privilegia accidentalit et plenam exemptionem, autumat eos hanc ultimam sat tarde accepisse <sup>63)</sup>. Ambo ut causam praecipuam huius subjectionis indicant originem et analogiam cum ceteris canonicis augustinianis ; nempe quod ordo Praemonstratensis considerabatur tamquam reformatio ordinis clericalis, et ab episcopis uti ordo clericalis, ac ideo ipsis subditus, tractabatur. Insuper, cum multae ecclesiae (i. e. conventus clericorum), jam canonicè erectae, ordini Praemonstratensi incorporarentur — et hoc, non raro, episcopis ipsis ad hoc incitantibus — mirum non est episcopos retinuisse in ipsos quamdam potestatem. Ita episcopus Laudunensis in charta foundationis S. Martini anno 1124 explicite affirmat : « locum illum, sicut antea exstiterat, ita et nunc in sua suorumque suorum manu remanere » <sup>64)</sup>. Interventus episcoporum, qui in exordio ordinis ingens erat, volventibus annis minuit. Crescens enim auctoritas capituli generalis ac abbatis Praemonstratensis, aegre componi potuit cum immixtione episcoporum in regimine interno ordinis et in disciplina claustrali domuum.

#### QUALIS ERAT INTERVENTUS EPISCOPORUM IN REGIMINE INTERNO ORDINIS <sup>65)</sup>.

Episcopi, quamvis plus semel proposuerint se in disciplinam claustralem suam auctoritatem servare, magis ac tenacius tamen intervenerunt in electione et correctione abbatum et praepositorum.

In fundatione Ilbenstadii, anno 1123, uti supra vidimus, reser-

jectionis onere praegravetur seu libertatis fulta privilegio suo, dumtaxat archiepiscopo de qualibet causa respondeat ». HEYMAN, *Untersuchungen über die Praemonstratenser Gewohnheiten*, Tongerlo 1928, p. 79 in nota 1 a. citans HERTEL, *Nachlese zu den Urkunden des Klosters U. L. F.*, in *Geschichtsblätter für Stadt und Land Magdeburg*, XIV (1879), 107.

<sup>62)</sup> HUGO, o. c., II Prob., p. 121. Hugo erroneè privilegium intitulat « ut exemptio a jurisdictione episcopali » cum proprie contrarium affirmat. Cfr not. 60.

<sup>63)</sup> L. HERTLING, S. J., *Kanoniker, Augustinusregel, Augustinusorden*, in *Zeitschrift für Katholische Theologie*, LIII (1930), 335-359; G. SCHREIBER, *Kurie und Kloster im 12. Jahrhundert*, Stuttgart 1910, Tom. I, p. 197.

<sup>64)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 446.

<sup>65)</sup> L. VAN DIJCK, *Essai sur les sources du droit primitif concernant les pouvoirs du Dominus Praemonstratensis*, in *An. Praem.*, XXVIII (1952), 114-127.



vavit episcopus Moguntinus sibi et suis successoribus jus correctionis illius monasterii, et abbas a conventu electus, per ipsum confirmandus erat <sup>66</sup>). Anno subsequenti, quando episcopus Laudunensis introduxit Praemonstratenses in ecclesiam Sancti Martini, clausulam apposuit circa correctionem abbatis in casu deficientiae. Abbas delinquens ab ipso episcopo et abbate Praemonstratensi corriperebatur, sed depositio eiusdem, in casu incorrigibilitatis competeret capitulo abbatum ordinis. Electio vero successoris fieri non posset sine confirmatione episcopi <sup>67</sup>). Egbertus Monasteriensis episcopus anno 1129 concedit ecclesiae de Varlar liberam electionem abbatis, sed electus ab ipso confirmandus est et ipsi soli obedientiam praestare debet <sup>68</sup>). Quod episcopus Laudunensis decrevit pro ecclesia praemonstratensium suae civitatis, assumitur eodem anno 1129 ab episcopo Atribatensi pro ecclesia Viconiensi, quae est filia S. Martini de Lauduno <sup>69</sup>).

Idem ac pro Viconia, statuitur pro aliis filiabus ecclesiis S. Martini : pro Parco <sup>70</sup>), pro Liska <sup>71</sup>), pro Corneolo <sup>72</sup>), pro Theneolo <sup>73</sup>), pro Monte Sancti Martini <sup>74</sup>), pro Trunchinio <sup>75</sup>).

Quod sibi et suis successoribus reservaverat Moguntinus episcopus anno 1123, iteratur anno 1130 ab Hermanno Augustano episcopo pro ecclesia Urspergensis <sup>76</sup>). Ab anno vero 1131 plures exstant

<sup>66</sup>) HUGO, o. c., I Prob., c. 661.

<sup>67</sup>) LEPAIGE, o. c., p. 446. Quaeri posset utrum necne dubitari posset de genuinitate vel de datatione illius documenti ? Ibi jam sermo fit de abbate Praemonstratensi, et de coadunatione abbatum in Praemonstrato, et hoc iam anno 1124 ? Dum scimus circa 1128-1130 Hugonem electum fuisse in abbatem, et tunc primum colloquium (capitulum) habitum fuisse. Nonne temerarium esset conjicere, haec omnia scripta esse in praevisione istorum institutorum (?).

<sup>68</sup>) HUGO, o. c., II Prob., c. 650.

<sup>69</sup>) *Ibidem*, p. 682.

<sup>70</sup>) *Ibid.*, c. 308; anno 1129, ab Alexandro Leodiensi episcopo.

<sup>71</sup>) *Ibid.*, 29-30; anno 1132, a Milone Morinensi episcopo.

<sup>72</sup>) *Ibid.*, I Prob., c. 454; anno 1134, ab Anserico Bisuntino Archiepiscopo.

<sup>73</sup>) *Ibid.*, II Prob., c. 582; anno 1135, a Bertholomaeo Laudunensi episcopo.

<sup>74</sup>) LEPAIGE, o. c., p. 474; anno 1136, a Nicolao Cameracensi episcopo.

<sup>75</sup>) HUGO, o. c., II Prob., 603 et 604, annis 1127 et 1141, a Simone Tornacensi episcopo.

<sup>76</sup>) *Ibid.*, II Prob., c. 707. « Atque tam nos quam nostri successores diligentissime provideremus, ne decalcente rigore, regulam vel constitutiones umquam praevaricarentur ».

Ad 68-73: notanda est unitas, immo et uniformitas in omnibus foundationibus ortis e S. Martino Laudunensi.



bullae pontificiae, quae non semper sibi sunt constantes. Interdum conceditur correctio abbatis episcopo et co-abbatibus, interdum solis co-abbatibus. Haec fluctuatio perdurat usque ad Alexandrum III, qui in hac materia creavit jus stabile et uniforme. Cum bullae illae concessae fuerint rogantibus Norberto vel Hugoni, primo praemonstratensis abbati, a Sede apostolico, negari nequit eos primis decenniis admisisse et voluisse interventum episcoporum, et quod nonnisi lenta evolutione, hoc jus unice capitulo generali reservatum fuerit.

Anno 1131 Innocentius II « iustis interventionibus et postulationibus venerabilis Norberti, Magdeburgensis episcopi inclinatus » concedit bullam Hugoni eiusque co-abbatibus et praepositis, qua stipulatur correctio abbatum, et in qua admittitur auctoritas episcopi loci <sup>77)</sup>. Eodem anno conceditur similis quaedam bulla Gualtero abbati S. Martini Laudunensis, in qua etiam sermo est de eadem correctione pro ecclesiis, quae Sancto Martino subjectae sunt ; sed hic alia procedura praescribitur <sup>78)</sup>. In prima bulla, pro toto ordine exigitur interventus patris-abbatis cum duobus aliis abbatibus et interventus episcopi. Pro S. Martino co-abbates non indicantur.

Anno 1132 prodit aequale documentum ex curia Lietardi Cameracensis episcopi pro domibus praemonstratensium in eius ditione sitis. Hoc documentum inspiratum videtur a bulla Innocentii II pro toto ordine sed ei insuper non abnegandus videtur influxus summae Chartae caritatis <sup>79)</sup>.

<sup>77)</sup> LE PAIGE, o. c., p. 419; J-L 7465. *Sacri vestri ordinis.*

<sup>78)</sup> *Ibid.*, pp. 448-449; J-L 7467. *Quoniam sine vero.* « Decernimus ut si quis abbatum ecclesiarum quae praedictae ecclesiae sancti Martini subjectae sunt, ab ordinis proposito exorbitaverit, diocesano episcopo, tertio quartove commonitus incorrigibilis apparuerit, ad eandem ecclesiam reducatur, et in locum eius idonea persona canonice subrogetur, salva nimirum diocesani episcopi debita iustitia et reverentia ».

<sup>79)</sup> *Summa Chartae.*

Si quis abbatum regulae contemptor vel ordinis, aut in cura sibi commissa remissus ac negligens repertus fuerit, hincque ab abbate suo aut per ipsum aut per eius priorem aut per litteras usque quater am-

*Innocentius II (1131)*

Decernimus ut si quis abbatum ecclesiarum vestrarum ab ordinis proposito et consuetudine Praemonstratensis monasterii deviauerit, pater abbas super correctione sua eum bis tertiove commoneat. Quod

*Lietardus 1132*

ut, si in episcopatu nostro quilibet sui ordinis abbas peccaverit, et a tenore propositi ordinis deviare voluerit, videlicet... abbas praemonstratae ecclesiae, per se aut per suum priorem semel, bis et tertio submoneat;



Quando anno 1134 Innocentius II Hugoni et co-abbatibus novam bullam concedit, iterum citat interventum episcopi tum in depositione abbatum tum etiam in amotione abbatis Praemonstratensis, quamvis procedura quodammodo differat ab illa expressa in bulla anni 1131<sup>80</sup>). Quattuor post annos renovatur jus correctionis pro

*monitus emendare renuerit, ubi deinde per eundem abbatem diocesis illius episcopi et clericis transgressoris culpa innotuerit eorumque forte incuria inemendata remanserit, tunc abbas ille duos ad minus coabbates suos secum assumat, pariterque ad locum rei venientes incorrigibilem ab officio suo deponant, et de eligendo mox alio qui dignus sit commoneant, quod si presentibus rebelles abbatibus, nec illi cedere, nec illi alium eligere voluerint tunc ab eis excommunicentur.*

*Collectanea O. C. R., XVI (1954), 100.*

*si incorrigibilis apparuerit, diocesanus episcopus sub presentia et testificatione patris abbatis et duorum eiusdem ordinis abbatum sine omni dilatione (tamquam) ordinis sui transgressorem deponet; Depositum autem episcopus ad ecclesiam unde venit remittet et alium idoneum canonica fratrum electione e vestigio subrogabit.*

LE PAIGE, o. c., 419.

*quod si incorrigibilis fuerit, episcopo et toti capitulo cameracensis ecclesiae suggerat. Et si forte eorum incuria eius excessus incorrectus remanserit, tunc abbas assumptus duobus coabbatibus suis episcopum conveniant, factoque clamore super reo, sine dilatione infra 40 dies, prout dictaverint, rei iudicium terminetur absque invitatione maioris audientiae. Et si depositus fuerit, ad illud de quo prodiit monasterium remittatur. Quod si noluerit ab ipso episcopo et ab ipsis abbatibus, cum his qui cum eo consenserint, excommunicetur, et alius idoneus, consilio eorumdem abbatum a fratribus eiusdem loci eligatur.*

*An. Praem., II (1926), 90-91, edita a J. EVERS.*

<sup>80</sup>) Edita a J. RAMAECKERS in *An. Praem.*, XI (1935), p. 138. *Proprium est Ecclesiasticae*. J-L 7652. « Si quis autem abbatum vestrae societatis ordinis sui praevaricator extiterit, abbas ille, de cuius monasterio assumptus est, duobus vel tribus aliis sui ordinis abbatibus adjunctis eum de sua correctione ammonet. Quod si ammonitus culpam suam emendare neglexerit, per eosdem abbates episcopo, in cuius parochia est, culpa eius innotescat atque ab eo iterum cum consilio et attestatione illorum corripiatur et de emendatione ammonetur. Quod si non obdierit aut ab episcopo canonice vocatus venire contempserit, ordine iudiciario deponatur et alius in locum illius secundum liberam fratrum ecclesiae illius electionem, qui eisdem digne praeesse valeat, subrogetur. Depositus vero ad ecclesiam



abbate S. Martini et eadem partes attribuntur episcopo loci anno 1131<sup>81)</sup> sed in fine bullae anni 1138 conceditur ab Innocentio II privilegium in quo silet de interventu episcopi in depositione abbatis<sup>82)</sup>.

Forsan eodem sensu ordinat idem pontifex, anno sequenti pro Ilbenstadt, quod transgressores filios-abbates possunt corrigi secundum normas ad hoc regulariter constitutas<sup>83)</sup>.

Concedamus oportet Ordinem semper adhuc admisisse auctoritatem episcoporum in abbates ordinis, cum a Coelestino III anno 1143 impetraverit, quod ipse archiepiscopis et episcopis imponeret ut « cogant abbates nolentes venire ad capitulum et ut apostatas a religione excommunicent et tamquam excommunicatos denuntient »<sup>84)</sup>. Anno 1144 eodem die, 19 maii, Lucius II duo privilegia eiusdem tenoris concedit, unum Ordini praemonstratensi et alterum

unde assumptus est, aut ad aliam eiusdem consuetudinis serviendum Domino revertatur. Si vero contemptor exstiterit, anathematis vinculo innodetur. — Pari quoque ratione abbatem Praemonstratensis ecclesiae, si sui ordinis praevaricator, aut in corrigendo, quod absit tepidus, vel contumax exstiterit, ab abbatibus videlicet sancti Martini Laudunensis et sanctae Mariae Floreffensis et sanctae Mariae Cuissiacensis ammonendum et per eos ab episcopo suo iudicandum esse statuimus ».

Eodem hoc die 3 maii 1134 concessa est alia bulla Ordini Praemonstratensi, *Sacri Ordo vester*, apud LEPAIGE, o. c., pp. 622-623. Communis fere nunc opinio est hanc bullam esse ad minus dubiae originis. Cfr VAN DIJCK, a. c., *An. Praem.*, XXVIII (1952), 119-123.

<sup>81)</sup> LEPAIGE, o. c., p. 450; J-L 7877. *Ad hoc universis*.

<sup>82)</sup> ML. 179, c. 387; J-L 7928. *Qui divina disponente*. LEPAIGE citat hanc bullam o. c., p. 624; eam dicit confectam anno 1141.

<sup>83)</sup> HUGO, o. c., I Prob., c. 663; J-L 8060. *Ad hoc ecclesiae*. « Si vero quod absit praelati ecclesiarum quae fuerant de vestro collegio propagatae, religionis destructores, vel alias turpis vitae et malae conversationis fuerint deprehensi, nihilominus corrigantur secundum quod apostatis seu fratribus vestrarum congregationum noscitur institutum ».

N. B. Ilbenstadt erat illa ecclesia, in qua episcopus anno 1124 sibi reservavit correctionem.

<sup>84)</sup> LE PAIGE, o. c., p. 422; J-L 8451. *Desiderium nostrum est*. « Quocirca per praesentia vobis scripta mandamus quatenus eosdem abbates vel praepositos in vestris episcopatibus commorantes, ad eundem conventum (i. e. capitulum) venire nullatenus prohibeatis. Immo nolentes ire, districte cogatis. Illos autem qui ab eodem apostaverint et de locis ubi professionem fecisse noscuntur, absque praelati totiusque congregationis permissione discesserint, si commoniti redire contempserint, excommunicationis vinculo innodetis et per parochias vestras excommunicatos denuntietis ».



ecclesiae S. Martini Laudunensis, in quibus litteraliter resumit bullam praedecessoris sui Innocentii II <sup>85</sup>) ; quam bullam Eugenius III anno 1147 repetit pro ecclesia S. Martini <sup>86</sup>).

Volventibus vero annis, Ordo magis magisque autonomiam prosequitur et acquirit. Capitulum generale suam auctoritatem exercet in omnes ecclesias et fratres Ordinis, et ideo non est mirandum, capitulum sibi vindicare voluisse correctionem et depositionem abbatum, qui proprie sunt membra huius coetus. Insuper annum illud abbatum colloquium incitamentum fuit pro omnibus capitularibus ut uniformitatem sectarentur in materia tanti momenti.

Plus semel enim evenit, magnam aliquam abbatiam, multas filiales ecclesias habentem, petiisse privilegium quoddam particulare, quo eius independentia relate ad ecclesiam Praemonstrati, aliquomodo favebatur ac Curiam Romanam annuentem votis oratoris, confirmasse jus illud particulare, quod saepius contrarium erat juri ordinis <sup>87</sup>).

Potestas corrigendi et deponendi abbates, ab Hadriano IV anno 1155 clare et aperte attribuitur capitulo generali, cui deinceps etiam competet fugitivos excommunicare. Videtur Romanum Pontificem per hanc bullam voluisse aliquid novi introducere et mutare jus hucusque observatum, cum dicat « firmamus assertionem huius decreti » et cum revera depositio abbatis et translatio eiusdem in alium locum, ad competentiam episcopi semper pertinuerit <sup>88</sup>).

<sup>85</sup>) LE PAIGE, o. c., p. 625; J-L 8614. *Ad uberes fructus*. « Ut autem in praelatis quam in subditis vestri ordinis integritas inviolabiliter observetur, decernimus ut si quis abbatum vel praepositorum ecclesiarumstrarum ab ordinis vestri proposito et consuetudine Praemonstratensis monasterii deviauerit, Pater-abbas super correctione sua eum bis tertiove commoneat. Quod si incorrigibilis apparuerit, diocesanus episcopus sub praesentia et testificatione patris-abbatis et duorum eiusdem ordinis abbatum, sine omni delatione, ordinis sui transgressorem deponet; depositum autem episcopus ad ecclesiam unde venit remittet et alium idoneum canonica fratrum electione e vestigio subrogetur ». — Pro S. Martino, *ibid.*, p. 452; J-L 8615. *Quoniam sine verae*. Omnia, ad verba sunt eadem, excepto quod ibi pater-abbas mutatur in « abbas S. Martini ». Confer etiam notam 79.

<sup>86</sup>) *Ibid.*, p. 452; J-L 9038. *Quoties illud a*.

<sup>87</sup>) VAN DYCK, l. c., *An. Praem.*, XXVIII (1952), 117.

<sup>88</sup>) *Ibid.*, p. 627; J-L 9970. *Sicut in humano*. « Ad maiora quoque ordinis vestri observantiam fugitivos vestros excommunicandi vobis licentiam indulgemus. — Ut autem de bono in melius semper possitis proficere, et ordinem vestrum in suo rigore melius custodire, praesentis decreti assertionem firmamus, ut liceat vobis abbates qui fuerint in crimine deprehensi, et eos quos prorsus invenietis inutiles ab



Notare tamen juvat ecclesiam S. Martini, quae semper in hac materia aucta fuit particularibus privilegiis, adhuc anno 1177 die 8 martii recipisse ab Alexandro III diploma in quo correctio abbatum tribuitur tum abbati illius ecclesiae, tum episcopo loci, sicut hoc legimus in bullis Eugenii III et Innocentii II <sup>89)</sup>. Sed eodem anno, die 27 aprilis 1177, Alexander III plene ordinat pro ordine praemonstratensi correctionem abbatum et ecclesiarum et illam adjudicat patri-abbati et capitulo generali, absque ulla interventione episcopi loci <sup>90)</sup>. Lucius III iterum confirmat hoc privilegium anno 1184 <sup>91)</sup> ex quo factum est jus stabile pro Ordine.

Hic inde tamen adsunt quidam episcopi qui negligentes privilegium ordinis, sibi arrogant quandam auctoritatem in ecclesias Praemonstratensium; pluries vero occasio ipsis praebebatur ex parte membrorum Ordinis. Sic Philippus, Coloniensis episcopus anno 1172 decrevit se simul cum abbate de Floreffia in posterum nominatum esse priorem monasterii monialium de Langwaden, et hoc quia abbas ille nimis gravavit illud monasterium <sup>92)</sup>. Idem archiepiscopus et eius successores pluries affirmaverunt se esse vere instantiam recursus pro Praemonstratensibus Arnsbergensibus <sup>93)</sup>. Quod vero episcopus Brandeburgensis sese immiscere statuit in ecclesiam Praemonstra-

officio abbatis deponere et consilio capituli in aliqua ecclesiarum vestri ordinis collocare ».

<sup>89)</sup> J. RAMACKERS, *Papsturkunden in Frankreich, Picardie*, Goettingen 1937, p. 188, nr 332 — *Justis petentium*. Vide etiam nota 86 et 78.

<sup>90)</sup> LE PAIGE, o. c., p. 632; J-L 12813. *In apostolicae Sedis*. « Sane si abbas aliquis vestri ordinis infamis vel inutilis, aut ordinis sui praevaricator inventus fuerit, et prius per patrem suum abbatem; aut per nuntios eius ammonitus, suum corrigere et emendare delictum neglexerit; aut cedere, si amovendus fuerit, sponte noluerit, auctoritate generalis capituli deponatur et depositus, sine delatione ad domum unde exivit seu ad aliam eiusdem ordinis, quam elegerit revertatur, in obedientia abbatis, sicut ceteri fratres eiusdem domus, firmiter permansurus ».

<sup>91)</sup> LE PAIGE, o. c., p. 637; J-L 15000. *In eminenti apostolicae*.

<sup>92)</sup> HUGO, o. c., II Prob. 8. « Huic causae prudentes viri sese interponentes, consilio rem terminarunt; statuentes quod nullus sit in coenobio illo prior, nisi quem archiepiscopus simul et abbas ibi statuerint; statutus autem removeri non debet nisi per archiepiscopum simul et abbatem, cognita causa et evidenti culpa; abbas etiam nec veniendo nec diripiendo aliquid locum gravabit ».

<sup>93)</sup> Anno 1172 a Philippo, et anno 1193 a Brunone, archiepiscopis coloniensibus; HUGO, o. c., I Prob. c. 115-116: « Si quid vero in sinistris excessibus corrigendis morum, vel vires corrigendi praelati excesserit ad nos vel ad successores nostros referat ».



tensem illius loci, facilius admittitur, si prae oculis retinemus hunc conventum esse capitulum cathedrale ipsumque episcopum quoque ad Ordinem pertinuisse <sup>94)</sup>.

D. DE CLERCK, O. Praem.

<sup>94)</sup> RIEDEL, *Codex diplomaticus Brandenburgensis*, Berlin 1838-1869, 8, p. 132. Sifridus II, Brandenburgensis episcopus anno 1217. « Correctiones quoque disciplinae regularis et morum reformationes eorundem canonicorum, qui vires sui praepositi excesserint, juxta antiquam et hactenus observatam consuetudinem et Lateranensis statuta consilii per nos et successores nostros, nullo penitus interjecto appellationis obstaculo, corrigantur ».